





1737 34

39

DE
CONSVETVDINE
ALTERA NATVRA

PRAESIDE
CHRISTIANO GODOFREDO STENTZELIO
ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTORE CHIRVR-
GIAE AC PATHOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO R. T. FACVLTATIS MEDICAE
DECANO.

PRAECEPTORE ET PATRONO SVO
AETATEM DEVENERANDO

III. NON. SEXTIL. CIO IO CC XXXVII.

SPECIMINIS INAUGVRALIS LOCO

PVBLICE EXPONET

M. CHRISTIANVS *Gottlob Jungnickel.*

VITEMBERGAE.

APVD EPHRAIM GOTTLOE EICHSELDIVM.

DE
CONSERVATIONE
ALTERA NATURA

CHRISTIANO GODOFREDO STENTZEL

MARCELL PALINGENIVS

Zodiac. Vitae lib. 5. p. 121.

*Naturam parturit usus,
Ipsaque non multo est natura potentior usu.*

M. CHRISTIANVS. GOTTLOB. STENTZEL.

VITÆBERGAE.

AND. BERNH. GOTTLOB. EICHERSDIUM.



Q. F. F. Q. S.
DE
CONSVETVDINE ALTERA
NATVRA
DISSERTATIO PHILOSOPHICO
MEDICA.

M Ille modis immutatur corporis nostri ma-^{PROLEGO-}
china, alteratur, ac non annuas saltem, ^{MENA}
sed quotidianas fere, subit mutationes. ^{de}
Variat nexus rerum mundanarum, & ^{mutatione} corporis
ordo, mutantur tempora, nos & insigni-^{periculi}
ter mutatur in illis. Nouum plane, breui temporis
interuallo, corpus induimus, ne id quidem animaduerten-
tes. Adeo microcosmus, homo, macrocosmum,
quem secum, ex *Thomae Browne* a) sententia, cir-
cumfert, ubiuis aemulatur, & sicuti eundem omni ho-
ra mutari, ac alium comparere mundum, *Wolfius* con-
firmat, ita corpus nostrum paria cum ipso habere fa-
ta, & quotidie, imo singulis horis, alterari, dies di-
em docet. Si enim nec sumus in senectute, qui fueramus ^{qua acta-}
olim iuuenes, neque iuuenes, qui pueri, aut infantes. Tan-^{tem}
tum non uel minima, & quae leuiora censemus, perpetuo
sibi constant, nec eandem semper, & ubique, quam prae se
ferunt, faciem seruant. Modo corporis nostri attenta mente

A 2

intuea-

a) De religione medici Part. ult. S. 10.

intueamur compagem, eiusdem tum soliditatem, tum partium figuram, ut alia taceam, multis omnino modis immutari, satis intelligemus. Crescunt, atque indies roborantur pueri, ac iuuenes, senes e contrario uirium & robore sensim sensimque, priuantur, & corporis mole decrefcunt, uergente ad destructionem sui natura, quae in uegetis etiam, ac robustis, ualde alteratur, alia successiue, atque alia facta, quamuis nobis non semper ita uisa. Accessus nouarum, nutritionis ope, particularum, atque secessus earundem, per cutim, peluim, os, nares, anum, ceteraque secretionis animalis organa, abeuntium, mire mutant corpus. Transpiratio in primis Sanctioriana, quae excretionis omnigenus superat, notabilem infert corpori mutationem, quod in infantibus solidarum partium aduectio, unguium uero, capillorumque succiforum, uel abraforum, incrementa, in adultis, facile probant. Si denique, quod ueritas loquitur, iisdem, quibus nutrimur, constemus, continua autem nouorum succorum accessione, & assimilatione, nutritio abfoluatur, eaque noua quasi generatio fit, qua aliud, quod antea minus aderat, & noui aliquid, producitur, indubie fequitur, quoties nouum addatur corpori, succedatque in locum aliorum, roties idem mutari, alterari. Educatio proinde, & hinc impressum temperamentum, aer, exhalationes, consuetudo cum aliis utriusque sexus, quilibet morbus, quocumque medicamento genus, huc symbolum quoque suum conferunt, nos pariter, ac reliqua quaeuis, mutando, & priorem corporis partium statum quasi corrumpendo. Enim uero, si, ut apposite *Cuspar a Reies* *) inquit, quaedam corruptio mors est, quoties emutamur, emorimur; corrumpitur enim infans in puerum, puer in iuuenem, iuuenis in uirum, uir in senem, &, qui heri fuit, in eum, qui est hodie, quique hodie est, in craftinum: manet

*) Elyf. Iucund. Quaest. Camp. qu. 99. no. 9. p. 729.

net nullus idem, sed in momento fluit, refluit, & immutatur. Diuersimode ex eodem simul fonte animum, & ingenia hominum comparata esse, ac immutari, quis unquam neget, cum leuissimis saepe obiectis, ad cerebrum per organa translatis, mutatam, quo, nescimus saepe, fato, ac uelocitate, mentem obseruemus. Sed aliorum has meditationes spectare, existimo, de eo potius demonstrando sollicitus, quantum ad corporis nostri indolem, uel natiuam, uel acquisitam, corrigendam, ac immutandam, uictus, & rerum non naturalium reliquarum regimen, faciant. Ex illis ^{& imprimis} ^{Consuetudinem} uero plurimum sane, quod mireris, **CONSVETUDO** huc confert, quae circa actiones naturales, ad physices & medicinae, forum relatas, uersatur, atque argumentum mihi in praesenti suppeditat scribendi, & qua eius fieri potest, exponendi, quomodo natura alteretur illius uirtute, ita quidem, ut uel ipsa fiat, & quasi altera dicatur natura α).

Sed Naturae tamen uox, & eius, quod naturale est, significatio, quantamcunque aliis gignat ambiguitatem, nihil hic molestiae mihi creat, aut difficultatis, cum quemuis, quid ea sit, natura sua sciscitantem promtissime edoceat, ac erudite *Schelhammerus*, & *Robert. Boyle*, differant. Per multa autem, haec meditantem, atque egregia phaenomena, occurrunt, quae disquisitionem, & uberiorem causarum inuestigationem, merentur, quamuis illas, ac modum, quo id omne contingit, sufficiente quadam ratione definire, ubique non liceat, in quo tum rei grauitas, tum aliorum, & praecipue *Mülleri*, suffragium patrocinari mihi uiderur, causam, afferentis β), qua fiat, ut pars quaedam, uel totum corpus, huic, uel illi, morui assuescat, difficillimae interpretationis,

A 3

&

* confer. Cicero de finibus p. 142. a. Hippocrates 2. aph. 2. & 21. Galenus 1. 2. de temper. c. 4. & 1. 3. Simpl. c. 18. Aristoteles 1. 3 de memor. & reminiscet. c. 3 & 1. 7. Ethic. c. 18. alique plures. β) Diff. de eo, quod in cognoscendis & curandis morbis est praecipuum, sub praesidio D. Fischeri 1717. Erfordiae habit. §. 22.

& fatius esse, ipsum eius usum attendere. Sin ad occultas Scholasticorum qualitates, animarum medicorum nouarientium, aut facultates eiusdem monstrosas, desinentes in ix, ut loquitur clarissimus *Langius a)*, aufugere placet, facillimo te negotio, licet nihil dicendo, ex hisce difficultatibus erues. Causa proximior usque remotiori praeferenda, effectae uera, & ubi fieri potest, adaequata.

SECTIO I.
Consuetudo quid

Maximam esse uim uetustatis, & consuetudinis, praeter *Ciceronem β)*, Theologi, *Balth. Meisnerus γ)*, & *Geierus δ)*, ICrī, ex quibus unus omnium *Carpzouius ε)* mihi allegandus, & Philosophi, in Ethicis praefertim ζ), loquuntur, uariamque eius efficaciam in actionibus, hinc moralibus, hinc forensibus, satis superque euincunt. Vnde tam diuersa uocabuli consuetudinis acceptio enata est, quatenus nimirum circa aliud, aliudue obiectum ipsa occupatur. In eo tamen, quo ex actione frequenter reiterata consuetudinem oriri, & uim quandam obtinere, asserunt, omnes conspirare uidentur, ita, ut generalis inde definitio, nisi descriptionem maius nominare, ad uniuersos applicanda casus, emergat, facileque demum, adiuncto proprio eiusdem obiecto, tanquam differentia specifica Logicatorum, quid ea sit, quam expositurus sum, consuetudo, elici queat. Quamuis insuper notari mereatur, eandem uocem elegantiori quoque stylo pro conuersatione cum aliis accipi consueisse, ac *συγγαμια* matrimonialem, omnemque concubitum, subinde *μετρονυμιας* intelligi. *Aristotelem* ex Philosophis audiamus, qui 21. Probl. 14. consuetudinis definitionem tradit, quod sit habitus, siue qualitas, ex frequenti actione, & passione impressa, propter quam promptius, ac diutius, & cum delectatione, operantur, & minus

a) Oper. medic. 1. 145. β) Dialog de amicis. c. 19. γ) Dissert. de legibus S. 1. qu. 4. δ) Zeit und Ewigkeit p. 417. ε) Definit. Confitorial. & Responf. ζ) conf. ex aliis Aristotel. Nicom. 2. 1. & celeberr. Hassen Synopl. moral. p. 131.

minus pariuntur quam latius multo *Valesius a)* proponit. Parum ab eo recedit *Heurnius*, consuetudinem esse vim quandam ascititiam, scribens, qua aliquid agere, aut pati, inoffensa natura, licet, ita quidem, ut ad eam inducendam crebra requiratur unius passio, & actio. Si uerum tamen fatear, effectum mihi cum ipsa rei causa, & genere, confudisse bonus ille *Heurnius* uideretur, quia consuetudo, ex repetita alicuius rei uel actione, uel usu, inducta, & uis illa, quam ascititiam, *Aristoteles* habitum, seu qualitatem habituaalem, nominat, demum progignitur, ideoque consequens saltem est. Nec reticendum illud, quod nimis late, ac generalius, ambo de illa statuunt, siquidem, ubi de consuetudine loquimur, non ad omnes omnino actiones naturales eandem extendimus, sed ad peculiaria tantum, nec cuius propria, quin alteri nocifera; alias in respirando, edendo, bibendo, mingendo, & reliquis, consuetudini, a partu statim, frequenti earum actionum reiteratione, acquiritae, plurimum deberemus, quod tamen minus quadrat, quoniam in eorum omnium usu, & actione, non libera nobis uoluntas relinquatur, sed necessaria omnino sunt uitae adminicula. Non etenim formula illa loquendi ullibi, nisi uel maxime ioci causa, adhibetur, et hat sich ans Trincken, et hat sich zum Essen gewöhnt, ubi uero iterum attendendum, quod de iusto, ac necessario, cibi, & potus, usu fiat sermo, absit namque, ut comedonibus, & heluonibus, consuetudo patrocinetur, atque eosdem excuset. Hinc dilucide patet, eas solummodo actiones naturales, siue antiquis non naturales dietas, hic intelligi, quarum idem, quo illis affuescimus, modus non absolute necessarius, uel ipsa etiam res nocifera plerumque est. Quibus suppositis, *Consuetudo* mihi in genere est *dispositio, naturali constitutioni accedens, a frequenti exercitio agentis, & patientis, sensim introducta.* Quae autem uera sit eius ratio, ex qua his, uel illis

a) 8. Contr. c. 5.

illis rebus assueciamus, atque ad aliena disponamur, hanc utique in partium C. N. textura, earumque, ab usu, & actione frequentiori, facta uel mutatione, uel obfirmatione, latere, persuasus sum, exemplis, & phaenomenis, quae adducam, sic edoctus. Primo autem monendum, quod, quae grata siue fiat, siue nobis saltem uideantur, natura facilius ferat, ac illa, a quibus eadem, uana licet persuasione mentis, abhorret, exin imaginationi occultae omne punctum ab initio assuefactionis tribuendum esse, iudico. Quam stupendi enim effectus ex phantasiae uiribus prodeant, tum *Hoffmannus in Fundamentis Medicinae, Fienus*, alii, tum experientia, toto die confirmant. Quare perspicacissimus *Boerhaave a)*, impossibile esse, colligit, imaginationem alteram emendare ullo ratiocinio, nisi uiolento motu. Cum omnis autem uiolentia naturae sit insensa, illud, quod, imaginationis subsidio, tanquam bonum aliquod, agnouit, & recepit, uno, uel altero actu, & usu, quasi naturale, & succis, fibrisque partium, ita congenerum fit, & amicum, ut non solum exinde nullam laesionem sentiat, sed nec ulla ratione, aut difficillimo sane negotio, abstrahi ab eodem possit, quia per crebrum usum ita disponitur, & adaptatur. Hoc modo uidemus, consuetudine res gustui amarissimas dulces, dulcissimasque reddi inspidas, ac ea, quae aliis nauseosa sunt, & damnosa, aliis non tantum non talia esse, sed iucunda, palato gratissima, atque salubria, fieri.

qualis eius
effectus in
usu Venenorum

Non equidem, uenena tam execranda, & absoluta, dari, censeo, quae omnibus omnino, uirtute quadam insita, noceant, uti & nihil datur, asserente citato Auctore β), quod utique bonum; sed laet tamen in permultis rebus ingrati, & nociferi, aliquid, quod, si non omnibus, plurimis noxamento esse solet. Nihilominus hinc & inde exempla prostant, consuetudinis ui, pessima uenena, quae internecionem

a) Institut. Medic. aph. §86. a. p. 255. β) Praefat. Mater. Medic.

nem aliis uel subitam, uel temporaneam, minantur, potentiam suam nocendi amittere in corpore, cui talia placent. Serpentum ita carnibus Indorum Rex, *Porus*, optimiorum instar ferculorum, uescabatur, qui plerisque exitio sunt. Atque *Mercurialis* ait, Aethiopes ad Hidaspem fluuium scorpionibus, & serpentibus, impunè uesci. Napello, qui etiam in minima dosi nocet, Atheniensem quandam nutritam fuisse, *Auicenna*, *Auerroë*, & *Galenus* l. c. testibus, constat. *Mitridates*, ob frequentiore alexipharmacorum usum, a uenenorum, quibus mori, quam Romanorum se iugo subdere, maluit, noxa immunis, perire nequit. Pariter *Alberus Magnus*, se uidisse Coloniae Agrippinae puellam, ait, quae araneis toto uitae suae tempore innoxie uictitauit; quale exemplum de tyrone aurifabri Holmiensis, magna cum uoluptate, atque summa euphoria, non solum araneos grandiores deuorante, sed & potus instar ordinarii, aquam fortem postea, maxime corrosiuam bibente, PRAESES Grauissimus a) refert. Sic *Psyllus*, Lybiae populos, ad uenena olim ex corporibus demorsorum ab animalibus uenenatis exfugenda, citra omnem noxam adhibitos fuisse, *Plinius* b) auctor est. Et *Libanius* c) testatur, apud gentes Indiae Occidentalis absque laesione edi bufones, quorum totum genus uenenatum esse, sapientum consensu est apertum. Accidentarium, inquit ille, hoc est. Barbarica, addit, consuetudo etiam uenena digerit, aut quibus sunt uentriculi instar Luciorum, & Psyllorum. Hinc etiam Turcae, alique Orientis incolae, Opium a drachma dimidia ad totam sine damno euidenti, quod in ea tamen quantitate sumtum nostratibus certo certius eueniret, assumunt, summam affueri ab eo alacritatem, neglecto uero illius usu, torporem, testante *Iunckero* d), insignem expectantes. Vnde haec autem consuetudo inducatur, nimirum, quod ab initio, cum

B

nondum

a) Toxicolog. lib. II §. 30. p. 33. b) Histor. Natur. l. 7. c) Batrachior. l. 2. c. 16. d) Conspect. Therap. general. Tab. I. §. 3. no. 6. p. 3.

nondum assueti sunt iisdem, uenena minus noceant, a parca illorum dosi, & usu, ut plurimum uidetur deriuandum, & ab imaginandi facultate, nimioque appetitu, quam in primis causam *Ettmüllerus a)*, hisce usus, allegat, wer aus lüßren der Begierde schädliche und giftige Sachen isset, dem schaden sie nichts, weil dasselbe, worzu man durch den Appetit gebracht wird, der Magen-Safft bezwinget, und es geschwinde verwandelt. Id quod luculenter in aliis etiam subiectis apparet, qui uel pica, uel malacia, laborant.

Medica-
mentorum

Quae igitur, cum in mutanda narcoticorum uirtute tantum faciat consuetudo, non miremur, his perpensis, necesse est, si effectus leniorum quorumuis medicamentorum consideremus, quorum uires consuetudo penitus cohibet, quia in naturam alimentorum degenerant, ita, ut finem, quem speramus, medicum, in assuetis haud consequamur. Alimenta enim non tam alterant, quam nutriunt, & corporis nutritio per simile, ex quo constamus, ui dictorum, medicatio per contraria, fit, contraria uero esse desinunt, ac uirtus medica in posterum irrita est, si quotidiana sint, & familiaria corpori reddantur, neque tum sensus magis afficiunt, quia instar alimentorum sese tantum habent, sanationes autem, ut ait *Helmontius b)* medicaminum sunt, non ciborum, effectus. Illi enim, qui infano sanitatis amore capri, continuo medicamentorum usu corpus excruciant, licet a nullo obsessum sit morbo, efficiunt, ut nunquam bene ualeant, etiamsi ualeant, nec sine molestiis, corpus affligentibus, unquam uiuant, müssen sich fernerhin aus der lateinischen Gahr-Rüche speisen lassen, beständig mediciniren, ihnen fehllets inder an der G:sundheit, sicuti *Derbardingius c)* pronunciat. Frustra hi omnes, prout *Cyprianus ad Iuiabanum* scribit, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo maior sit

a) Im Entwurff der Medicin. P. 2. §. 36. p. 54. & Colleg. Pract. l. c. S. 1. c. 3. p. m. 275. b) de uic. rat. §. 4. c) Disp. de tribus impostoribus M. 3. art. 2. §. 2. p. 26. sq.

ueritate. Sed aethiopem cum *Diogene*, senem malum castigante, lauabimus, qui, ut perniciosissimam illam persuasionem exuant, doctores, suasoresque, ipsis uelimus esse. Alluemus quidem, non abluemus. Tenent enim, *Gregorio a)* teste, pravae consuetudines, quem semel ceperunt, & quotidie duriores existunt. Quae peruersa igitur tuendi sanitarem consuetudo eo magis culpanda, quo ea sunt fortiora, quibus uti consueuimus. Sic a purgantibus medicamentis, quod frequenter eisdem utuntur, aliqui nullo modo, aut parcius, euacuantur, ut *Eudemo* in Chio accidisse, *Theophrastus b)* refert, qui propter frequentes potiones nec supra, nec infra, purgari poterat, qualia exempla complura ibidem de helleboro, *Brassauola c)* de scammonio, & de pilulis cochiis *Bodaeus d)*, adducunt. Vilescunt nempe quotidiana, atque, quod potissimum est, ex ista consuetudine, medicamenta capiendi, adeo induratur sensus naturae, docente laudato *Derhardingio*, ut abhinc, si medici medicamenta congrua praescripserint, horum aut doses augeant, aut reiteratum usum iniungant, necesse sit, si quando aliquam efficaciam sperare uelint; neutrum sine metu nocendi. Egregie dehinc circa cathartorum remedium usum commonet *Celsus* in eo, quod de medicina composuit, uolumine e), ne quis, qui ualere, & senescere uelit, haec quotidiana habeat. Quo in primis officinarum domesticarum, *Haus-Apotheken*, abusus referendus, quae earum possessores ad hanc consuetudinem, multorum malorum fontem, inuitant. Sanus enim homo, & qui bene ualet, nullis, ex eiusdem *Celsi* consilio, se obligare legibus, hoc est, officinae domesticae apparatu non gaudere, nec ad libellos, eius comites, & interpretes, tanquam sacram ancoram, perpetuo aufugere, nec pharmacis assuescere, debet, cum ab assuetis non fiat passio, neque assuefacta natura

B 2

ab

a) lib. 15. Moral. p. 245. b) l. 9. plant. c. 18. c) de simpl. med. p. 636.
d) Comm. p. 1144. e) l. 1. c. 3.

ab ipsis tum moueatur, uel tandem, si dimitrantur, morbus statim ingruat. Adeo bonarum quoque rerum consuetudo pessima est, asserente *Publ. Mima* a), quoniam uilescit, quod consuetum esse coepit. Bonis enim rebus nihil esto carius, carum autem, quod rarum, optimaque medicina est, illa non uti, nisi eius quam maxime egeamus.

in Visu

Et sane, quae de his ualent, ad uictum, atque diaetae regulas, aequae applicanda ueniunt, quod enim in his, illisue subiectis, & tempus edendi, ac bibendi, modusque, & quantitas assumendorum, ipsaque alimenta, & potulenta, tam mire uariant, non sine cuiuscunque euphoria, plurimum consuetudini est dandum, quae in cibus, potibusque, acquiri potest, summamque uim habet, annotantibus *Galenus* β), atque *Fr. Hoffmanno* γ). Nec minus egregie *Hippocrates* de consuetudinis uis iudicat δ): Τα ἐν πολλῆς χροῦ συνήθεια, καὶ ἡ χρεῖα, τῶν ἀσυνήθων ἥσσον ἐνοχλεῖν εἰσθα, consueta, etiam si deteriora, insuetis minus molesta solent esse. Sic *Haendlerus* *Disputatione, de Hygiene habitata* ε), quando pro uerbum, *sanis omnia sana* esse, explicat, paria profert, omnino cibus, inquit, etiam durus, & difficilis concoctionis, item acidus, austerus, flatulentus, in parca quidem quantitate, cum appetitu fortiori, motu, aut consuetudine, sumtus, minus nocet, imo facilius digeritur, quam mollissimus, & optimus, cum nausea scilicet, & praeter consuetudinem, uel in maiori, quam par est, quantitate, ac minus decenti loco, & modo, usurpatus. Ventriculus enim cuiuscunque assuescit nutrimento, grauius contraria fert, atque ab ipsorum usu statim laeditur, debilitatur. Quam primum uidelicet ad crudiora insuera descendit, quisquis mollioribus, & delicatioribus, indulsit cibus, facillime ex hac causa aegrotat. Quo etiam sine *Galenus* ζ) *Arrium* *Peri-*

a) Sent. 69. β) 2. text. 21. sq. γ) Op. de meth. medend. l. 1. cap. 3.
 δ) S. 2. aph. 50. conf. Fickii aphorism. Hippocr. ε) c. 3. th. 1. p. 14. sq.
 ζ) l. 1. de aliment. facult. & lib. de consuetud.

Periparthericum in scenam producit, quem tepido ante potui assuetum, febris autem causa ad gelidam assuemendam coactum, periisse commemorat. Adeo, consuetudinem uincere, dura pugna est, inquit *Augustinus a)*, ac male respondent, ut ingenia, teste *Seneca*, sic & corpora, coacta. E contrario porus frigidae, quibus in assuefactionem abiit, maxime conuenit. Aqua cruda, simplex, & pura, ut est porus naturalissimus, & uniuersalissimus, affirmante *E. C. Wolff β)*, ita illis, qui ipsi assueuerunt, salubris est, atque a multis grauioribus morbis praeseruat, diluendo, temperando, roborando. *Primaevi* enim nostri, usque ad *Noachi* tempora, nihil, nisi aquam, bibentes, omnibus sanitaris commodis fruebantur. Varia autem illa potuum coctorum, & mixtorum, genera, uel confortii, uel uoluptatis, aut luxus, amori ortum maxima ex parte debent, ac plus saepe detrimenti, quam emolumenti, afferunt, plerumque uero extra prandium, & coenam, sumta. Licet enim consuetudo iustum usum confirmet, non abusus tamen uitia aeque declinat, uti obseruat *Zanneken γ)*, nam illi, qui uel ex naturali temperamenti constitutione, uel ex consuetudine, sitibundi sunt, ac plus etiam bibunt, quam quod praecordia poscunt, uentriculi imbecillitate laborant, quia fibrae nimis expanduntur, rugae, & plicae, explicantur, motus contractorius perit, & lymphae ipsius iusto tenuior, & aquosior, uel etiam acrior, redditur. Eorum pariter, quibus uolupte est, frequentiori spiritus uini, aut frumenti, usu, rectius abusu, delectari, consuetudo, qua, uti loquitur *Plinius*, bibendi auuiditas augetur, est detestanda, ne satris quidem palato, nisi ex consuetudine, faciens, sed ipsi simul corpori uniuerso iniuriam inferens, siquidem nimio eius, aquarum uitae, & aliorum spirituosorum potulentorum,

B 3

rum,

a) Super *Psalmi* 30. *β)* *disp. inaugural de potu frigido, sub Praesid. R. G. Crausii* Ienae 1697. habit. *γ)* *Disp. de uentriculi per aetatem imbecillitate, Praeside Hambergero* Ienae 1702. hab. c. I. phaenom. f. p. 7.

rum, usu fibrae ventriculi neruosaē continua irritatione tritaē, contractaē, & languidaē, fiunt, atque exsiccantur, serum tenue exprimitur, succi vitales exhauriuntur, apicesque arteriosi, & papillae nerueae, occalescunt. Vfus tamen uerus nihil uitii, crimen abusus, habet, non omnis autem consuetudo ad abusum referenda, sed praua saltem, & rectae rationi, atque sanitati, contraria, qua ducti, plerumque ad exempla uiuimus, nec ratione componimur, sed abducimur, asserente *Seneca in Epistolis*. Id quod praecipue de consueto potus Thēe & Coffēe usu obseruari meretur, quem Magnificus PRAESES *α*), & *Detbardingius β*), plurium noxarum, ualetudini insultantium, matrem esse, & fieri, uberius probant, licet aliter sentire uideatur *Goelicke γ*). Nihilo minus longior usus efficit, ut neutrum horum subinde noceat. In genere tamen cum *Gerard. Goris δ*) dicendum, ne quid nimis. Inreera consuetudini, cuius uinaturae leges frequenter euincuntur, aliquid dandum. Copia etenim, ac uis, cibi multum quoque ab ea determinantur, atque ii facilius concoquunt, nec laeduntur, qui multum ingerere consueti sunt, quandocunque, & quoties de die, id faciant. Non illi quidem, monente *Aristippo ε*), qui plurimum comedunt, melius ualent iis, qui modice, natura etenim paucis contenta, nec ideo monositia aliis commendanda, quia *Plato*, cibum in die semel capiens, ad LXXX. annos uitam prorogauit, sed neque temere consuetum tempus mutetur, huius potius ratione consuetudini pariter, ac temperamento, quod urget *Wedelius ζ*), obsequendum. Licet enim perinde sit, num semel, bis, aut saepius, de die capiantur cibi, modo uentriculus iis subigendis par sit, nec nimium ingurgiretur, quod omne, quamuis per se optimum, naturae, & sanitati nostrae, inimicum est.

Com

α) loc. allegat. §. & p. 77. 14. *β*) l. c. p. 12. §. 8. *γ*) *Hist. medicin. uniuersal. Period. 2. §. 16. p. 195.* *δ*) *Medicin. contempt. cap. 12.* *ε*) apud *Laërtium.* *ζ*) *Disp. de diæta licitor. S. 2. c. 2.*

Communiter tamen, ex *Celsi a)* suppeditato canone, praestatur, bis de die potius, quam semel, cibum capere β). Communissime autem, siue semel in die, siue repetitis vicibus, modo ne sit largior eorum copia, corpori alimenta praebent, consuetudo seruanda, nec facile mutanda, natura enim gaudet consuetis, uti *Boerhaave* γ) loquitur, aegre fert insolita quaeque, nec amat ipsa saltum, praesertim si ab uno contrario ad alterum transitus contingit. Cum quo nominatus *Celsus* δ) facit, periclitantur, inquiens, & qui semel, & qui bis de die cibum incontinenter, contra consuetudinem, assumunt. Eleganter hinc in ventriculum *Fl. Anastasi II.* symbolum, ex *Publ. Syrii Mimis* desumptum, quadrat, cui semper dederis, ubi neget, rapere imperas. Et uere raptoris instar sese habet, qui uentriculo debitum suum, quod, quo tempore, ac modo, semper ei dare consuevit, denegat, & certissimas rapinae luit poenas. Pares conspiciamus in illis consuetudinis effectus, qui tum statuto semper tempore prandent, ac coenant, quo transacto fames plerumque perit, cuius quidem causam *Bobnius* ϵ) duplicem allegat, tum in iis, qui potum in mensis amant, uel eundem penitus inter edendum negligere solent, tum in iis demum, qui uel tarde cibos degluriunt, uel quibus a iuuentute consuetum est, cito saturari, es gehet wie auf der Post, jagen alles hinter einander hinein, als ob sie etwas versäumen würden. Adeo multum est, assuescere in edendo, & bibendo.

Nec minorem assuetudo uim habet in motu, & motuum generibus, quae corporis non modo sanitatem adiuant, sed, quibus consuetus est certus motionis modus, ille & ipsis demum necessarius uidetur, quod in infantibus statim, motioni iam in utero assuetis, cuniarum agitatio demonstrat, & quae aliis quoduis assuetum exercitamentum iucundum esse solet.

Mota

Adeo

α) *ibid.* c. 1. β) *conf.* B. Bergeri *Dissert. de monofitia.* γ) *Institut. medic. de Therapeutic.* p. 440. aph. 11. δ) c. 3. *add.* *Hasslen Synopf. moral. de I. N.* p. 267. *Pol.* 15. ϵ) *Circul. anat. physiol. Progymnasim.* g. p. 17. 14.

Somno ca-
piende

Adeo & quiescendi, ac dormiendi, consuetudo est attendenda, siue enim uel de tempore, ac diurnitate, somni, uel modo decubitus, differas, multasque regulas exponere uelis, aequae tamen, cum *Hieronymo* loquor, reprehendes, quod finis consuescere. Septem quidem horas plurimi generatim somno statuunt dandas, sed limitatione hic omnino opus esse, non absque fundamento *Celsus* ait. Concionatoribus tertiam diei partem, octo nempe horas somno dandas esse, *I. H. Salmuth a)*; auroram musis amicam, sed saluo corporis debito, esse, *Wedelius β)*; affluetis quinque, uel sex horas sufficere, *Moebius γ)*, ideoque in termino, dormitioni praefigendo, opus esse distinctione aliqua, & ad consuetudinem dormientis respectum habendum, *Francus de Franckenau d)* contendit, qui & per assuefactionem somnos plane carere posse, exemplo *Troglodytarum*, ex *Agatharchyde*, *Phorio*, & *Tob. Magiro ε)*, probat. In cuius rei ueritatem penitus inquirere, contentio mihi curiosa magis, ac utilis, uiderur, nisi & curiositati aliqua utilitas concedenda, num uidelicet eo per consuetudinem redigi possimus, ut somno, potu, cibo, aliisque rebus necessariis, insigni absque noxa carere queamus. Ita somnus meridianus haud nocet, sed confert potius iis, qui debili sunt uentriculo, ex coctionis defectu, praesertim si consuetudo, aetas, & alia, id permittant, restante id, praeter *Ertmüllerum ζ)*, *Wedelio η)*. Cum decubitus insuper naturalis praesagium salutis in febribus sit *Lomnio θ)*, accurate examinandum, quisnam sit aegrotanti naturalis, omnis enim, cui quisque affluet, naturalis, & conueniens, ipsi solet esse. Ουδέν γὰρ κακόν κατὰ φύσιν, teste *M. Antonio ι)*, nihil est malum, quod naturae consentaneum, licet generatim *Wedelius κ)* moneat, somnus

α) *Diff. de morbis concionatorum*, lenae 1699. habit. p. 31. §. 75. β) *Diff. citat.* γ) *Institut. medic. conf. Franckenau Satyr. medic. §. 93. p. 390. 14. d) lib. modo alleg. Sat. 18. §. 73. 14. & 97. ε) Sat. 8. §. 39. p. 359. ζ) l. c. Physiolog. p. 56. §. 46. η) l. c. 3. c. 1. θ) *Obseru. medic. l. 1. p. 320. ι) libro ad se ipsum 2. §. 17. κ) l. c. p. 16. 10.**

mnus ut decubitu fiat conuenienti. Quod in dextrum Adamus decubuerit latus, *Thomas*, Anglus, *a*) quidem probat ex *Aristotele*, hunc situm somno capiendō aptiorem esse, docente. Sed aptius *Chr. Henr. Erndl* *β*) modo decubitus in alterum latus, modo in dorsum, uel supinum, pro ratione partis affectae, aegris commendat, nisi quis peculiariter ex consuetudine certum amet decubitus. De situ praeterea corporis supino maxime incommodo *Loverus de Corde* legi omnino meretur.

Quod de forma decumbendi ualet, id pariter de consuetudine sedendi literatis obseruandum est, qui, dum prolii libris inhiant, ac, uti *G. W. Wedelius* ait, instar claudi futoris, iis incumbunt, atque in anteriorem partem inde nituntur, non raro emprosthetanum contrahunt, soli huic consuetudini tribuendum, licet, id quoque opificibus ex eadem ratione contingere, saepe uideamus *γ*). Sic multi, ut reuertar, unde digressus sum, reperiuntur, qui, ex consuetudine, duro lecto magis gaudent, quam molli, atque nitido, qualia exempla aegrorum *Salmuthus* *δ*), & *Solenander* *ε*), in medium proferunt, qui eo solo conualuere, cum relicto, sub diu cubare concessum sit, lecto. Ea quoque ratione contingit, ut, quibus a multo tempore consuetum est, prima, uel sera, nocte lectum petere, consueto statim tempore eos ad dormiendum somnus inuitet, eaque hora quotidie sponte expergeant, qua per aliquod tempus relinquere cubile consueuerunt. Nec minor in iis apparet consuetudinis efficacia, quibus nocturni labores, & uigiliae, placent, diurna quies, dum literis, aliisque rebus, noctu operam dant, aut excubias agunt.

C

Sicuti

a) de orig. mundi cap. 10. confer. Blasii commentar. in Veslingii Syn- tagma anatomic. p. m. 124. *β*) disp. de situ aegrorum commodo, sub praesid. Riuini Lips. 1700. habit. *γ*) Conf. Ficinus de studio ualeriad. tu- end. c. 3. & Franckenau Satyr. p. 556. Orat. de studior. noxa. *δ*) Cent. 7. obf. 71. *ε*) Sect. 5. Conf. 15. no. 16.

Sicuti uero & somni tempus, & modum dormiendi, consuetudo diuersimode determinat, ita labores, atque dolores, eadem faciliores reddit. In assuetis labores haud molestare, praeter *Hippocratem* a), experientia confirmat. Is potius medicina est, assuescere, quoniam motus corporis, atque exercitatio, ex qua, uti *Cicero* β) ait, consuetudo gignitur, multum ad conseruandam ualitudinem, roburque corpori conciliandum, facit, quod rusticorum, & opificum, exemplo patet. Hinc ad mentem *Celsi* γ) omnem laborem facilius uel puer, uel senex, quam infuetus homo, sustinet. Ideo nimis otiosa quoque uita utilis non est, quia potest incidere laboris necessitas. Et paulo post inquit, leuat lassitudinem etiam laboris mutatio, eumque, quem nouum genus cuiusdam laboris pressit, id, quod in consuetudine est, reficit, licet lassitudinem inconseruata a laboribus saepe consuetis auocare, exemplo quodam *Riedlinus* δ) probet.

Dolore

Quod laborum uero consuetudo perpeffionem quoque dolorum faciliorem efficiat, *Cicero* ε) confirmat, haec addens, ferre laborem, contemnere uulnus, consuetudo docet, uti & alio eadem loco exercitatio, consuetudoque patiendi, ipsi uocatur. Fibrae enim neruosae, quae laesionem quandam, & abhinc sensationem ingratam, & molestam, percipiunt, ex frequentiori earum attractu, & motu, licet praeternaturali, magis, magisque, obfirmantur, atque, sicut in loco pestilenti quoque, qui assueuere, durant, sicuti callus tempore factus adimit sensum, obdurantur, ut facilius feramus, & parum nos incommoda laedant, illustrante id *Plinio* ζ), quem sensum mali detraxerat usus. *Riedlinus* quidem η) inter dolorem, & sensum molestum, expresse distinguit, hunc, non illum, inferre butyrum antimonii, loco cauterii applicatum, asserens. Sed doloris definitioni ex asse contrariatur id ipsum, cum defini-

a) 2. aph. 49. sq. β) de Orat. 141. b. γ) c. 3. δ) Lin. medic. ao. 5. mens. Augusti. lin. 3. ε) 2. Tusculan. ζ) lib. 18. c. 6. & c. a. 1. 25. η) l. c. pag. 569.

definiendum, & definitum, a se inuicem, tanquam contrariis, fecernat. Meam hic de consuetudine, perferendi labores, sententiam quam maxime *Bernhardus a)* stabilire uideatur, ubi ait: Quid non euerat consuetudo? quid non assidue dureretur? quid non usui cedat? Primum tibi aliquid importabile uideatur, processu temporis, si assuescas, discas, iudicabis non adeo graue, paulo post etiam delectabit. Id quod non solum de omni dolore, morborum comite, sed & de acerbissimis doloribus aliis, uulneribus, malis, ac oneribus, saepe ualet, quae si sufferre proposuerimus, necessitas fortiter ferre docet, consuetudo facile, ex asserto *Senecae β)*, *Sydenhamii γ)*, qui podagricis ipse doloribus diuexatus, ita scribit, unser Frost bestehet darinne, daß wir des Schmerzens gewohnt sind. *rc. & Poëtae δ)*, exercitia dolorum, canentis, & consuetudo, podagricis soletur. Quantum uero praestat, his patienter assuescitur, quae ferenda sunt, tantum utroque carere, ubi fieri potest, conducit, mala enim perpetuendi consuetudo, si non absolute, relatiue tamen, semper mala censenda.

Ab his ad aërem, & tempestatem, deuenimus, in cuius Circa Aë:
examine luculenter deprehendimus, aërem, quo a prima sta-^{rem}
tim respiratione, & crescentibus demum annis, uti fuimus,
optime corpori nostro conducere, eius uero mutationem
sanitati uaria incommoda afferre, licet non sit subitanea,
quod peregrinantium, & nauigantium in primis, exemplo
eiusciscit. Quanta insuper uti constitutio aëris diuersa pol-
teat, immutandi corpus humanum, *Helmontius ε)* satis docet,
cuius praecipuas rationes *Ill. Hoffmannus* uel repetit,
uel addit, in laudato opere de methodo medendi ζ).

C 2

pesta-

*) ad Eugenium. Conf. Ioh. Schüzen Appar. Curios. & Pract. Tom. post. p. 243. §. 2. β) de tranquillit. animi c. 10. & de prouid. c. 4. sub fin. γ) tract. de podagra, Oper. p. 1089. δ) Lucianus in Tragopodagra, uid. Sydenham. ibid. ε) tr. de Blas human. §. 51. ζ) lib. 2. c. 6. p. 441.

pestatibus quidem, iuxta *Hippocratem* a), optimae aequales sunt, siue frigidae, siue calidae: pessimae, quae maxime variant. Sed quid tempestate mutabilis? Vna saepius hora uno in loco post nubila phoebus, imber post phoebum, ac procella. Optimae ergo, addo, sunt consuetae. Notandum uero, quod hic non aër uni loco, uel uni regioni, proprius, intelligatur, sed ubi terram mutamus, quam alius perflat aër, de quo & *Wedelius* b) loquitur, nec consuetudo, monens, ex animo mittenda, consuetus quippe aër, deterior licet, insueto, utur salubriori, salubrior.

Odores

Quid circa odoris quoque sensum consuetudo praestet, mirum sane est dictu, si ad ea respicimus, quae toto ferme die occurrunt. Videmus igitur, quibusdam fortiora odorifera exosa esse, & noxia, quae aliis ob solam assuetudinem grata sunt, alios e contrario foetidis, crassis, minimeque acribus, quibus a teneris annis utuntur, assuetos, facile suffimatum usu, cui nunquam antea fuisse assueti, enormiter laedi, quale quid in ruricolis, inter pecora degentibus, ac paludum incolis, apparet, & de Sabaeis, quos, odoribus stupefactos, bituminis suffitu, hincque accensa barba, recreatos esse, *Strabo* c) refert, atque carnificis nostrae olim ciuitatis seruo, pharmacopolium intranti, similiter accidisse, tradit *Pb. Salmuthus* d), quem ex odorum fragrantia exanimem cum pharmacopoei ministri praestantissimis, & suauissimis aquis recreare non potuerint, ipse adueniens carnifex, ad cloacam ipsum deferens, affuetis breui refecit. Similem huic historiam *Zacutus Lusitan.* e) de piscatore affert, qui, cum regium hospitium, odoriferis frondibus, & aromatum suffimentis, repletum, intraret, uertigine correptus, in terram corruit, & apoplecticus fuit habitus, usque dum Lusitanorum Regis Archiater, *Thomas a Vega*, ab odore aromatum insueto origi-

a) 3. 8. b) l. c. S. 2. c. 1. c) l. 16. d) Cent. 3. obs. 71. e) Lib. 3. Prax. admirand. Obs. 99.

originem huius repentini morbi deriuans, ad littus apponi prostratum, ac limo, & alga, torum cooperiendum praecepit, eoque modo in pristinum restituit. Sic multos ex odorum, quibus assueti non erant, fragrantia in lithymiam incidisse, refert *Libanius* α), atque *Leu. Lemnius* β) rustici meminit, qui Antuerpiae, cum ad officinam aromaticam deuenisset, animi deliquio statim correptus, admoto naribus simo equino, cuiusmodi odori affuetus erat, animam reuocauit. Adeo facile, inquit citatus *Reies*, plura γ) exempla in medium proferens, natura nostra cum omnibus conuenit, ut, tetrus etiam, ac foeridis, si assuefiat, non solum libenter ferat, sed a contrariis, optimis licet, subito occupata, repente corrumpat. Quid? quod Septentrionales populi, & qui frigidas regiones incolunt, moschum, ambram, & alia huiusmodi odorifera, magis, quam ceteri, auerfantur, quia ipsis in paruo sunt usu, nec dediti illis, aut assueti, ut alii in calidioribus, Africa, Arabia, sunt, ubi ob consuetudinem magis grata, & minus noxia, esse, *Petr. Seruius* δ) demonstrat.

Pari etiam modo in euacuationibus acquiri consuetudo facile potest, ut in uenae sectione, aliquoties repetita, scarificatione, aliisque artificialibus non minus, quam naturalibus, & praeternaturalibus fluxionibus, apparet, multoque cum suffragio ueritatis *Io. Alberti* ε) approbat sequentem in modum: multa utriusque sexus subiecta circa id tempus, quo anniuersariam depletionem sanguinis celebrare solent, morus in brachio, uel pede, plane singulares obseruant, quas ita describunt: Wenn die Adertlaß Zeit kömmt, so wird der Arm so schwehr, und die Adern lauffen an, daß man ohne Eaculender

C 3

α) ap. Gregor. Horstium l. 2. epist. medic. Sect. 10. β) l. 2. de occult. nat. miracul. c. 9. γ) l. c. qu. 93. p. 701. 7. δ) in Philologia de odoribus, fol. 40. ε) Diss. de motuum augmento post haemorrhagias saepius obseruando, Halae 1734. habit. c. 2. §. 3. p. 13. Add. *Ettmüller* l. c. Part. 2. §. 53. p. 57.

lender des Ueberlassens erinnert wird, & paulo ante, qui scarificationibus affueti sunt, & terminum consuetum praetergrediuntur, illi de immodico pruritu queruntur, qui non, nisi reperita scarificatione, tollitur. Duo hic extrema euitanda esse, iudico, alterum, quo in excessu, alterum, quo in defectu, iliacos intra muros peccatur, & extra. Quidam enim, nulla id exigente necessitate, bis, terque, quaterque in anno, cruore, e uena secta prorumpente, quasi delectantur, ex nullo alio fundamento, quam quia uel parentes, uel alii, hanc methodum secuti, bene per uitam, eamque longaeuam, sese habuerunt, so gar, daß man es für eine Mode-Cur mit halten kann, wie den Gebrauch deter Sauer-Brunnen, und warmen Bäder. Caueant sed illi, ne, machinam corporis sensim labefactando, succosque ipsi vitales suffurando, maximum sibi met afferant detrimentum. Alii e contrario uitium in defectu committere mihi uidentur, qui uel plane ab hisce euacuationibus abhorrent, uti *Theophrastus* tam uenae sectionem, quam scarificationem sequentibus damnat, der Rath zu Schröpfen ist nicht, als ein Galgen-Frist, ist gut Milderung halber, nicht wegen Heilung, Schröpfen hat weder süßes, noch saures in ihm, als allein, was die Gewohnheit bringt und giebt, uel qui ad ultimum uitae terminum easdem prorogant, uulgari, sed uana, persuasione ducti, primam uenae sectionem ab imminente mortis articulo liberare posse, quod aequè tamen, ac prius recensita praeiudicia, absonum, & falsum est. Optimum dehinc consilium esto, ut, quoties tales indicantur euacuationes, peragantur eae. Cum dubium uero sit, num indicationem, quam consuetudo, an illam, quam morbus suppeditat, sequamur, merito singulorum consuetudo aduertatur, si quid de uenae sectione statuendum. Non facile, nec saepius, euacuandum, ne affueat hisce natura moribus, nec facile, ubi facta euacuatio fuerit, ea supprimenda, quia graues morbos, ipsamque mortem, haud raro prouocat. Referendum huc, quod *Zacutus*

ius

ius a) de quadam memorat, quae, ex consuetae euacuationis taedio, & contemptu, septies fonticulum occludit, toriesque dolore infestata fuit, donec, morbi pernicacia uicta, obfistere desit, & euacuationi locum permittit. Ita mensium quoque excessum facile in affuetudinem abire, *Auctor Cosmum Medicinalium XXXI. selectiorum, ad mentem Stablianam descriptorum* (b), statuit. Quam consuetudinis etiam in praeternaturali mensium per uias insolitas fluxu uim *Stablius* (c), atque in aliis sanguinis fluxionibus, haemorrhoidibus, mictu cruento, haemopythi, ac narium haemorrhagidis, tumoribus, cumprimis erysipelaceis, conuulsionibus, doloribus arthriticis, nephriticisque, ulceribus, & uulneribus, euincit *Müllerus* (d), non ubiuis tamen firmo nitens fundamento.

Nec incongrue euacuationibus exercitia uenerea subiungere uideor, cum in utroque sexu, ceteris paribus, aliquid excernatur. Veneri assuefieri posse, praeter *Nauarram* (e), experientia docet quotidiana. Quo magis enim coitu frequentiori irritantur, ac grate partes genitales titillantur, eo maiori sensu, atque stimulo uehementiori, gaudent, hinc consuetudo intensiorem prouocat libidinem, atque coeundi desiderium auget, si quis iterum, iterumque, ueneris amplexibus fuerit delectatus. Vnde *Sperlingius* (f) apposite scribit, qui semel, iterumque, his obediunt affectibus, illos facilius postea eorum ui, atque impetu, abripi, ut quasi in naturam uiria degenerent. Sed posse & ueneri, sine ulla ferme uoluptate, ac uero eius, & adaequato fine, assuefieri, palam sit exemplis complurium scortorum publicorum, ex corpore quaestum facientium. Rarius enim libido iubet, indiscriminatum ut admittant, qui easdem

a) loc. alleg. Obs. 101. b) Tab. 21. III. 2.) p. 117. c) Diff. de mensium insolitis uis p. 16. 17. 33. d) Disp. citat. §. 27. p. 20. sq. e) Disp. manual. c. 17. no. 197. p. 404. conf. Franckenau lib. alleg. p. 535. §. 4. de lupanariibus. f) Dissert. de salacitatis natura & cura, 1701. habit. p. 19.

easdem quaerunt, meretrices, quam haec illos admittunt, sed absque uoluptatis saepe sensu quibuscunque se subiiciunt, turpissima illa consuetudine hunc in actum abreptae, & lucro, quo merentur, fordido inhiantes. Tantum uero abest, ut omnem meretricibus cunctis sensum uoluptatis denegem, ut potius confirmem, in quam plurimus adeo fordidis foemellis lasciuiae originem huius uitae triobolariae deberi. Videmus ita, ut ad propositum deueniamus, in praxi nostra uirgines non tantum salaciores, coitum affectantes, sed uiduas praecipue, ueneri olim assuetas, passione hysterica, & quae sunt reliqua, ac grauiora mulierum mala, diuexari. Nec in homine, quem *Reies a*) foeminae non secus, ac *Paulus L. 38. §. 1. de poenis*, opponit, omnimoda coitus abstinentia citra noxam est, praesertim in illis, qui antea fuerunt assueti. Arescunt enim, pergit idem, plerumque genitalia, & ad munus inepta redduntur, testes, & uasa spermatica contabescunt. Id quod *Galenus β*) uidui exemplo confirmat, qui, uxoris mortem lugens, & a concubitu diu abstinens, anorexia subito afflictus fuit, quare citra occasionem perpetuo moestus apparuit, a quibus omnibus & corporis, & mentis, malis non prius liberari potuit, quam ad pristinam consuetudinem reuerteretur. Simile *Benedictus Veronens. γ*) exemplum habet, cum, ueneri praecipue assuetos, qui per religionem ad castitatem perducuntur, saepe, ait, febricitare, capitis grauitate, & dolore, tentari. Pariter *Sancta-Crux δ*), se uidisse uirum, scribit, qui, ueneri assuetus, per aliquod tempus id exercitii intermittens, in morbum, hysterice affectionibus similem, incidit. Ita *Lexmius ε*), quando in causas salacitatis podagricorum inquiri, hanc inter praecipuas nominat, quod ex diutina assuetudine illi rei assueuerint, cuius immoderato usu is morbus contractus sit. Sed num adeo firmo, ac perpetuo, stet

talo

a) Qu. 46. p. 334. 16. β) S. de locis c. 5. γ) lib. 26. c. 16. δ) in opusc. de melanchol. ε) l. c. L. 2. c. 46.

talo argumentum, uix, ac ne uix quidem, ut credam, adducor.

Et quid de fordida tandem circa pulueres sternutatorios consuetudine, quid de fumo herbae nicotianae, dicam, qui hodie

pauperum tabernas,

Regumque turres,

semper opplet, ac iam fere omnium ore exhalat? Quae, & quanta, in usu harum rerum faciat consuetudo, non adeo multis retro abhinc seculis Germaniae innouit. Adeo enim breui increuit illa, ut, qui istis abutuntur magis, quam uere utuntur, cibo, & somno, potius, quam tabaco, carere malint, militibusque in castris, ac nautis, loco uictus, per aliquot dies, esse possit, quin multis inter nos prosperae sit ualitudinis indicium, certumque signum, bene se ualere, ac superatum esse morbum, si cum oblectamento uti eodem queant. Sic eo ipso consuetudo facit debitores, iis, quae frequentant, adhaerentes, teste *Bernardo*. Sic multa, quae natura sua non sunt delectabilia, ex *Aristotelis* asserto, cum assuetudine superata fuerint, tandem fiunt delectabilia. Quis enenim delicias in fumo, uoluptatem in cinere herbarum, quaeret? Sola est consuetudo, quae sensim, sensimque, contracta, gulam ad talia adstringit, ac ui quadam ueluti cogit. Non equidem Catonem hic agere intendo, uulgares solum errores cenfeo, nec usum nicotianae penitus reiiciendum existimo, illa tantummodo, *Hoffmannus* a) praecipit, magis ad medicinam, quam delectationem, admittatur, cuius uidelicet fumus militibus, scopo praeseruandi Hungaricum morbum, in usu est, atque primarium contra pestem praeseruiuum *Diemerbroeckio* (β) uocatur, quamuis aliter, & non tam reuerenter, de hoc usu *Goris* γ) sentiat. Nec in

D

assue-

a) Fundam. medic. p. 165. §. 3. β) tr. de peste l. 2. c. 12. p. 125. Vid. I. M. Hoffmanni Syntagma Path. Ther. p. 1022. γ) l. c. cap. 10. p. 182.

affuetis plane improbandus, secundum *Hippocratem* *a*), *sulfirus nicotianae*, nec in iis, qui seroso abundant humore, & scorbuto hinc, catarrhis, aliisque similibus, infestantur. Sed ab usum damno, damno assiduam talis rei consuetudinem, cuius uenenatam uim toto die illi fere omnes experiri solent, qui prima uice usui eiusmodi uulgari, fistulis sugendo fumum, assuefieri tentant. Ebrii nimirum, sunt *Erndlii* *b*) uerba, in uertiginem rapiuntur, enormiter uomunt, sudore perfunduntur frigido, animo linguuntur, terribili saris, nisi assueto, spectaculo. Hac ratione consuetudo interdum potior natura; eius enim, cum *Camevario* *γ*) loquor, tanta uis est, ut nos saepe cogat, res aliquas sua sponte duras, & asperas, amare, atque in illis tractandis iucunde uersari.

Puluerum
Sternutato-
riorum.

Ut ne quid proferam de pica nasi, quam Auctor quidam anonymus uberius explicat, & *Fr. Camel* *δ*) tabacomaniam iure appellat, qua talem puluerem ipsa consuetudo fecerit pene cum aere necessarium. Sed horum abusus sternutatoriorum tam noxius est, quantum parcus usus prodest, praesertim in obstructione narium, & cerebri tubulorum, qui inassuetis, sternutatione excitata, contingit. Perit autem non hic solum usus in illis, qui contritae herbae usui assuescunt, sed & alia incommoda grauiora insequuntur. Multos enim, qui eodem abundanter usi sunt, odoris priuatos fuisse tono, in aliis uocis claritatem perisse, docet *Simm. Pauli* *ε*). Licet ii quidem leuiorem censuram mereantur, qui uoluptatis, & fibras narium neuosas grate titillandi, & uellicandi, ergo, prae illis, qui uel ad luxum, uel ostentationem, ut capsulas, uaria arte, & pompa, confectas, aliis ad oculos ponant, uel ad sui commendationem, quando pyxides, hisce refertas, cuique, urbanitatis causa, offerunt, uel

a) aph. fo. S. 2. *β*) Disp. de salute ex ueneno, Lips. 1701. §. 9.
γ) Oper. subcisiuar. Cent. 1. c. 75. p. 344. *δ*) Disp. de puluerum sternutatorior. uero usu, & abusu, Praeside Hoffmanno Halae 1700. habit. §. 11. p. 9. *ε*) tract. de tabaci & Theae abusa.

uel ex praeiudicio vulgari, man müſſe doch die Mode mit machen, iſtis pulueribus odoriferis utuntur, cum & ſpurciſſima haec conſuetudo hodie Gynaecia nitidiora occuparit, atque ad ſexum ſequiorem, uiros ubique ſequacem, ac ſimiarum more aemulum, multa cum uanitate, ſed multa quoque cum reprehentione, deſcenderit, contra quam, tanquam morbum, pugnandum.

Cum ex dictis igitur ſatis pateat, conſuetudinis uim **SECT. II.** adeo magnam eſſe, atque, ex *Boerhaave a)* testimonio, uix ^{de eo,} credenda ferre, ſiue ſpectemus effectus aëris, cibi, porus, ^{quod ob-} motus, medicamenti, ueneni, ſiue conſideremus etiam reli- ^{ſeruandum} qua, quorum ueſtigia in ſtatu ſano pariter, ac pathologico, ^{medico cir-} ca conſue- ^{tudinem} maniſta legimus, facili hinc opera colligitur, quid me- dici ſit circa eius obſeruationem. Quae uero omnia cum ad triplicem illum hominis ſtatum reſpiciant, conſultum eſt, ſe iudicauerim, officia medici, inde reſultantia, ad eundem examinare, & plenius, quantum fieri licet, excutere, quae- nam ipſi tum in ſtatu ſano, uel etiam ante morbum, tum in ipſo quocunq; morbo, tum leuato denique, & ſublato malo, perpendenda incumbant, num conſuetudo ſcilicet recipienda, recepta uel ſeruanda, uel quando, & qua ratione, mutanda.

Et in ſanis quidem ideo illius ratio eſt habenda, ut quo- ^{in ſtatu ho-} ^{minis ſano} uis modo eos in uigore ſuo medicus conſeruet, morbiſque ſedulo, & mature, praecauet, cui ſane ſcopo non parum id ſeruit, ſi in conſuetudines inquirat, ne quis ex eorum numero, quorum ipſe ſaluti conſultum uoluerit, in tales ueniat, quarum deinceps mutatio minus ſuadenda, ſi praeter ea cauſas mutationis, in corpore contingentis, perſcrutatur, atque dietam praecipue, conſuetudini uel reſpondentem, uel, pro ſubiecti, aliarumque circumſtantiarum, ratione, contrariam iubet, & ubiuis attendit, ne quid fiat, quod ualitudinem ullo modo impediatur. Quo id uero felici cum

D 2

ſucceſſu

a) Inſtitut. medic. de Hygiene p. 424. §. 1026.

fuceffu agat, naturalem difpofitionem, &, quae eandem facile mutar; confuetudinem, obferuet, neceffe eft, atque enitatur, ut caufis quibuscunq; rite, & mature, occurrat. Haud raro etenim fit, ut temperamentum uocetur, atque idiofyncrafia, quod confuetudini tamen debere ex confequentibus intelligimus. Hinc probe *Riedlinus a)* a conftitutione peculiari confuetudinem diftinguit. Etiamfi fanus quidem, ex *Celfi* fupra adducto monito, nullis fe legibus obligare, fed uarium habere uitae genus, debeat, & hanc diaetae uarietatem *Hippocrates b)* omni ratione inculcet, quotidie tamen uidemus, quemlibet fere alia re magis, ac alia delectari, eaque delectatione ad frequentiore illius ufum, & hinc in confuetudinem quandam, ipfo faepius incio, abripi, quae, fi noxia, fugienda, fin minus, & corpori potius conueniat, faltem nihil periculi minerur, utique feruanda, & commendanda. Conuenit in hoc mecum *Detbavdingius c)*, ubi ait: iam fieri affolet, ut, quae iuuant, inueniant applaufum, applaufus gignat imitationem, imitatio pariat confuetudinem, confuetudo fiat mater abufus, abufus iterum parens noxarum. Quomodo medicus autem noxas illas subuertere, quomodo contrarias, easque ueras, & adaequatas, fanitatis regulas praefcribere poterit, nifi prius naturam cuiusque indiuidualem, quam confuetudo haud raro fimulat, ad examen reuocet, emolumenta, & incommoda, ex tali frequentiori ufu, & actu, in oeconomiam animalem redundantia, perpendat, ut peiora inde uitanda, meliora tenenda, ftatuere queas? Sicut autem facilius, ea, quibus affueuimus, retinere, fic graue eft negotium, tum mores, quos ab longo tempore induimus, abnegare, tum uitae, cui femel affuefacti fumus, genus deponere, quoniam id, quod confuerum, uelut natura eft inditum, teftis *Aristoteles d)*,

a) l. c. ann. 5. menf. Iun. Lin. 19. p. 614. b) ibidem. c) Difput. allegat. M. L. A. L. §. 1. p. 9. d) Rhetor. l. c. c. 2.

idem uero uel corrigas, uel maxime *Horatii* furca expellas, usque tamen recurret, frenis remoris, aut alia plura sequentur damna, si inuita quid minerua moliaris.

Cum uero, ubi temperamentum ita dictum, & statum morbo imminente hominis sanum, iuste cognouerimus, habita relatione ad eundem, plenius semper morbum inuestigare queamus, isque, ex ea ratione, nihil aliud sit, quam actionum mutatio, cuius ante aduersam quoque ualitudinem, docente *Celfo a)*, notae quaedam oriuntur, quarum omnium commune est, aliter se corpus habere, atque consueuit: luculenter exinde patet, plurima morborum, eorumque futuri euentus, signa ex animaduersa mutatione functionum qualiumcunque, ut ait *Boerhaave b)*, peti, qui & alio loco ex sola mutatione insolita quaeque malignitatis signa in acutis elicit. Hic consuetudinis obseruatae est usus in Semiologia, quae non morbi solum praesentis indolem, & causam, sed eius quoque imminens, & futuri, faciem sistit.

Sed in ipso etiam morborum impetu uarius, & mirus, in ipso morbo illius effectus sese prodit, uariasque cautelas, medico necessarias, subministrat. Praecipue uero magnam consuetudo uim obtinet in indicando, & prouti *Tb. Cornacbinus c)* habet, non primario quidem, sed secundo tamen, indicat, quatenus uidelicet est natura acquisititia. Quibus permorbus *Galenus d)* merito in dubium traxit, an dignior indicatio sit, quae a consuetudine, an quae a morbo, desumitur. Sic exempli causa aegrorum sitis non omnis symptoma morbi, sed multis ex consuetudine fere naturale est. Medico igitur, morborum curam suscipienti, *Hoffmannus e)* seruo suadet, ut, postquam patienter audierit aegroti, & adstantium, ad singulas quaestiones relationes, examinato aegri temperamento,

D 3

a) l. 2. c. 2. b) Institut. med. de semiolog. aph. 898. p. 391. c) ibid. p. 399. aph. 919. d) Tabl. med. 6. e) op. cit. de Meth. Med. c. 3. p. 14.

ramento, ipsius consuetudinem obseruet, quia indicet, a quo magis, uel minus, laedi patiens consueuerit, id quod, allegato ex *Galen* libris philosophi exemplo, probat, qui, medicis contrarium, quam cui assuetus fuerat, potum imperantibus, uoluntati illorum morem gerens, interiit. In cuiusmodi errores, terra tegi solitos, haud secus, ac coeci, delabimur, nisi praeter hominis statum naturalem, in quo antea fuit, & praeternaturalem, qui nunc est, indiuidualem quoque consuetudinem plena oculorum mentis acie aduertamus. Ita circa uictum in febricitantibus *Boerhaave* a) sequentia monet: copia determinatur, & uis cibi, a consuetudine aegri, & temperie eiusdem naturali; qui enim sanus lautissimis usus, ea facile diffiat, aeger pluribus eger ob uasa, & uiscera, his assueta. Sed uti rebus haud facile ullis assuescendum, sic probe inquirendum, num, durante morbo, id, cui assuetus fuerit quispiam, deponendum, an seruandum. Prius omnino ualet, si morbus alia methodo pelli, & prior incommoditas reddi, nequeat, posterius autem & multa ratione, & auctoritate plurima, locum sibi uindicat, sed cautione tamen, atque limitatione, opus hic esse, omnino iudico. Tantum enim abest, ut id, quod nocet, semper, & absolute dimittendum, atque ad contraria recedendum sit, ut malum id minus, ubi remoueamus, maiora, & plura saepissime pariat, & relinquat, natura, iamdum per morbum labefactata, magis, magisque destruat, motus perturbentur, & tonus fibrarum adhuc superstes, heterogeneis particulis, e corpore eliminandis, sufficiens, eo ipso minuatur, quo consueta, & fere homogenea, corpori denegamus. Et uim naturae uidetur facere, qui sic agit, omne enim uiolentum, per ea, quae supra diximus, naturae inimicum. Quae indicatio a consuetudine iuxta *Vallesium* β) inuiolata seruanda est per morbos,

a) Aphorism. de cognosc. & curand. morb. S. 60. no. 2. β) conf. Hoffmanni op. allegat.

morbos, etiam si inutilis sit, quaeque per ualitudinem foret mutanda, seruat in morbis, seruandae facultatis gratia, nam quae molesta sunt naturae, deuitanda in morbis sunt. Quae etiam causa *Hippocrati* α) fuit, quod uictum humidum non solum febricitantibus, sed & pueris, & aliis, qui ita cibari sunt assueti, utilem scripserit. Vbi sedulo tamen obseruandum, annon consuetudo morbum induxerit ipsum, quod facile euenire *Iunckerus* β) probat, aut incrementa illi dederit, & adhuc det, quo casu necessario mittenda, nihil enim aliud, ex *Caelii Aueliani* γ) dicto, prodesse potest, quam ut non plurimum corpora noceantur. Nos enim oportet consuetudinem rerum utilium facere, noxiarum fugere, & profecto, nisi id uitium, cui assuefactus est, & ex quo morbus enatus, atque auctus est, deponat aeger, non erit in medico, ut releuetur, sed arte plus ualebit inueteratae consuetudinis malum. Subinde tamen necessitas urget, quo uariemus in methodo. Ita in uetere quartana, inquit *Celsus* noster δ), prodest, mutare uictus genus, a uino ad aquam, ab aqua ad uinum, a lenibus cibis ad acres, ab acris ad lenes, transire. Sicuti & in aliis quibusdam ad insueta, ne ab iisdem, repente in nos incidentibus, magno opere laedamur, transgrediendum, *Galenus*, & *Hippocrates*, pluribus locis praecipiunt. Sin consuetudinem nec mediate, nec immediate, aliquid contulisse ad morbum uideamus, retinendam, licet qua caetera non sit optima, existimo, rationibus, ab *Hippocrate* supra allatis, ductus. Quae enim consuetudo non insignes morbofo corpori molestias creat, plures contra ea, si recedendum ab illa iubeamus, alias & maiores excitat, ea certo tenenda, usque dum inclinata in melius ualutudo sit. Ipsa etenim mutatio consuetudinis, etiam quae utilitate adiuuar, auctore *Augustino* ε), tamen nouitate

α) S. l. aph. 16. β) loc. cit. Tab. I. p. 15. sq. γ) Morbor. acut. l. i. c. 18. δ) lib. 3. c. 16. ε) Epist. ad Ianuarium.

tate perturbat, quapropter quae utilis non est, perturbatio infructuosa consequenter noxia est. Nec in statu quidem sano consuetudo plane est relinquenda, quia, ut *Sydenhamius a)* monet, sani homines rerum non naturalium mutatione identidem febre corripiuntur, propterea, quia eorum sanguis nouum statum, & conditionem, adipisci gestit. Hinc & eam non raro esse reuocandam, intellegimus, quando morbus inde ortus fuerit, nec aliter, quam cum ad istam recurramus, auferri possit; quod nisi fecerimus, frustra pariter, quin cum damno aegroti morbum oppugnabimus. Proinde, si quis animum nouit altius defigere in ea, quae superius circa sex res non naturales, aliaque momenta, exposuimus, facile deprehenderit, plura toto die occurrere exempla, & casus in praxi nostra, quam hae capiant paginae. Siue casum sistas, beneuole Lector, siue morbum fingas, aut proponas, cum placeat, exemplum tibi obuium, ubique applicationem luculentam doctorum inuenies. Ego, uero spatii lucrandi causa, ad alia descendo, quae frequentior medicamentorum, & spirituosorum, usus, antea in apricum deductus, suggerit. Vt enim plurimorum medela affectuum initio lenioribus suscipienda remediis, &, necessitate id efflagitante, ad fortiora demum transeundum, ita praecipue in iis, qui frequentiore, imo quotidianum fere, usum medicinae, uel potus spirituosi, amant, lenioribus, & minori dosi propinatis, nihil efficias, sed praepostera, quam cognitam probe habeas, illa consuetudo iubet, ut in omnibus morbis potentiora, aut maiori quantitate, adhibeas, & medicamenta affuetis accommodes. Qua commotus ratione *Dekkers b)*, homines, in quibus *Pazwana naDagina* praescribi possint, affuetos esse, docet, quod in euacuationibus pariter, ac purgatione speciatim, obseruandum esse, ex *Heurnio, Hippocrate,*

a) Opuscul. uniuers. p. 60. b) Exercitat. practic. c. 5. p. 328. sq.

crate, *Dornreilio*, atque *Wendelino*, quos excitat, uberius reperit. Nec, quin hisce auctoribus fidem habeamus, experientia obstat, cum remedium mercurialium, lvi uenereae oppositorum, usus, semel, iterumque repetitus, leuiorem, uel nullum plane effectum exserat, ita, ut irrita, quibus corpus iamdum fuit assuefactum, eorum operatione, ad fortiora, turpethum minerale, confugere medicum oporteat.

Et haec quidem dicta sunt de eo, quod medicum con-^{post mor-}stuerudo faciendum iubet in ipso morbo, siue eius diagnofin, seu prognofin, spectemus, superato uero eodem, uti in eius ^{buan.} factu, subita receptae consuetudinis immutatio identidem uitanda est, quippe quae periculosa, & cum turbis maxime coniuncta. Cum quis enim ex toto conualuerit, periculose, ait *Celsus* α), uitae genus subito mutabit, & inordinate aget. Hinc, uti monet *Haendlerus* β), longo tempore consueta, licet non adeo bona, in diacta non simul, & semel, sed lente, & successiue solum, mutare, uel omittere, conuenit. Pergitque idem, rationibus praemissis, qui, a teneris, laboribus grauioribus, cibis durioribus, frigori, aliisque, assueti sunt, eadem facilius ferre, a contrariis uero manifeste laedi. Quanta huius canonis neglectus mala afferat, uix dici potest, sed eo minus quoque excusari, ubi ab ipso medico hac in re peccatur, quale PRAESES maxime laudatus γ) exemplum typographi profert, qui, cum antea uix tres potulenti libras hauserit, octo deinde libris simul, & semel, assuescere, non absque insigniori ipsius damno, iussus a medico fuit, moniti *Galenii* δ) plane immemore, quod repentina consuetudinis mutatio corpora multum offendat. Quam ob rem *Celsus* ε), si plus iusto quis assumere solitus

E

tus

α) l. 4. c. 25. β) Dissert. cit. c. 1. th. 5. sq. γ) l. c. l. r.
 §. 58. δ) Com. 2. de uict. rat. in morb. acut. text. 33. ε) l. 3.
 c. 22.

34 DE CONSVETVDINE ALTERA NATVRA.

rus fit, abstinere uno die, praecipit, deinde ab exiguo cibo incipere, quotidie adicere, donec ad iustum modum perueniat. Sed tamen idem quoque ualet, ubi desuescere alicui rei decernitur, primo etenim *M. Antonini* a) τὸ ἐξαλείψαι φαντασίαν, σῆσθαι ὀρεγνῆν, σβίσειν ὀρεξίν, inculcandum, ut opinio prius tollatur, impetus animi sistatur, & extingatur appetitus, ac deinde iubendum, ut paulatim de die recedatur, & minor sensim, sensimque, quantitas, cum in uictu, & potu, aliisue rebus, a consuetudine desicere uolueris, eligatur, sed factu tamen optimum esse concludo, nec facile assuescere rebus, neque subito desuescere. In utroque fit modus, sint certi denique fines.

a) l. c. l. 9. §. 7.







Wittenberg, Diss. 1737


W 20



56.







Farbkarte #13

B.I.G.

39

1737 34

DE
CONSVETVDINE
ALTERA NATVRA

PRAESIDE
CHRISTIANO GODOFREDO STENTZELIO
ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTORE CHIRVR-
GIAE AC PATHOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO H. T. FACVLTATIS MEDICAE
DECANO.

PRAECEPTORE ET PATRONO SVO
AETATEM DEVENERANDO

III. NON. SEXTIL. CIO IO CCXXXVII.

SPECIMINIS INAVGVRALIS LOCO

PVBLICE EXPONET

M. CHRISTIANVS *Gottlob Jungnickel.*

VITEMBERGAE.

APVD EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDIVM.

